

✓



ULB Halle 3
 005 090 792


OB B 200, Kapsel (28)



81
Celetismus Pnevmatologicus

Adversus Nonnulla

Antonii Le Grand

in Theologia sua Naturali
atqve Dæmonologia

Asserta,

Quem

Benivolo Inclytæ Fac. Philos. Indultu,

Publico Eruditorum Examine

subjicit

PRÆSIDE

M. NICOLAO Krauß/
Oberndorffensi Franco,

RESPONDENS

PAULUS HENNEMANN,

Lobensteinio Nariscus,

Die XXIII. Martii Anno MDC LXXX.

In Auditorio Minori.



WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖPTERL



08B 200, Kapsel (28)

Ἄνευ ἀπολογίας!



Trictim disputaturus, prolixè præfari omitto; Ansam dare certamini publico animus est, hoc cum per pauca possim, per plura obtinere quid opus? Hinc obelo saltim noto, quæ in Antonii Le Grand Theologia N. atq; Dæmonol. prima mihi lectio suggererebat, dubia, quanquam non eâ, quâ par fuisset ἀνεπισβεία, quod dissimulare neq; volo neq; valeo, mei quippe probè conscius, vanæq; gloriæ, dicere non possum, quantus osor; Veniam tamen indulgebit, spero, L. B. si præprimis obstacula mihi obfuisse non una cogitaverit. Interim Largiter hoc cœptum prosperet ipse Deus!

Adversus

Theol. Naturalem.

§. I. Cùm juxta veræ Logicæ regulas de omni re nunquam inquirendum sit, An sit, nisi prius, quid sit, concipiatur, censeo &c. Art. I. §. 1.

Contrà: (α) Anomalum id esset, atq; inauditum hæctenus in sanâ Logicâ ὅτι οὐκ ἔστιν ἀπολογία.

(β) ἐνθεσις præsupponit θέσιν, definitio definitum. E. quæstio quid sit, quæstionem An sit.

§. II. Per ideam nobis innatam Deum existere cognoscimus Art. II.

Contrà: (α) Falsâ niteris hypothesi, innatam dari ideam.

(β) Nihil est in intell. quod non prius fuerit in sensibus; Intell. est tabula rasa &c. Sunt inconcussa adhuc Pripateticorum (si de actuali intelligas notitiâ) principia.

(γ) Innatum quidem habemus habitum θεογνωσίας analogicum, sed non nisi accedente rationis usu, medianteq; triplici, Causalitatis, Eminentia, atq; Negationis viâ in actualem θεογνωσίαν traducibilem.

A

§. III.

§. III. Negat Le Gr. à creaturis hoc modo provenire posse ideam Dei, hoc potissimum, si mentem ejus spectemus, argumento: Quæc. idea neq; formaliter neq; eminenter continetur in rebus creatis, illa ab iis nullo potest modo procedere; atqui idea Perfectionum divinarum &c. E. &c. Maj, firmare videtur §. 3. Min. §. 4. seqq. Art. II.

Contra: (α) do instantiam: atqui idea invisibilium neqve formaliter neq; eminenter continetur in visibilibus. E. illa ab his procedere neqvit. Quæ conclusio Apostolo Rom. I, 20. in os condicit.

(β) Limito E. Maj. Quæc. idea neq; formaliter neq; eminenter (addo) neq; occasionaliter s. materialiter &c. Sic nego Min. quæ posterius membrum.

§. IV. Falsò & crasse nonnulli dicunt, Deum repletivè ubiq; esse, cum extensionem ipsi tribuere videantur, quantumque sibi eum imaginentur. Art. VIII. §. 4.

Contra: A modo adessendi repletivo spirituali ad quantitativum corporeum falsò & crasse argumentatur Le Gr.

§. V. Nullum extra Deum est ejus scientiæ objectum, quia nulla res creata divinum intellectum præcedit, aliàs naturam suam independentem haberet, quod absurdum. Art. XI. §. 4.

Contra: (α) Privativa & fictitia etiam sunt objectum scientiæ Dei, quod fateri ipse cogit §. 5. nec tamen in Deo sunt.

(β) Nulla res creata divinum intellectum præcedit ratione *ἡ ἀρχαία*, benè tamen ratione *ἡ ἐργασίας*; Jam à prioritate cognoscendi ad prioritatem essendi N. V. C. Sic finis prior in intentione, Eclipsis prior in Ephemeridibus.

(γ) Ab objecti suppositione notionali, ad dependentiam ab illo realem N. V. C.

§. VI. O-

§. VI. Omnia à Deo cognoscuntur, quæ ab illo tanquam principio effectivo procedunt Art. XI. § 5.

Ad omnia objecta positiva sive realia extendit se Dei Notitia §. seq. 6.

Contrà: (a) Sed non tantum.

(β) Confundis Cognitionem cum effectione, quæ non æquè latè patent, Plura enim v. g. Privativa, fictitia, Possibilia sub hypothesei &c. cognoscit Deus, quæ tamen non efficit.

§. VII. Peccata etiam cognoscit, sed non extra mentes, verum quatenus easdem conservat. §. eod.

Contrà: (a) Quæ consequentia: Mentis conservat. E. peccata, quæ non conservat, cognoscit?

(β) Cognitionis & Conservatio tibi non differunt. Arguo κατ' ἀνθρώπων: Quæc. Deus non conservat, illa non cognoscit; atqui peccata &c. E.

§. VIII. Peccata in rebus nihil sunt. §. eod.

Contrà: (a) In rebus moralibus, nego.

(β) Sunt aliquid in mente, quod cognoscit DEUS absque effectione. E. cognitio Dei latius patet, quam effectio.

§. IX. Res per se spectata immeritò bona aut mala nuncupatur, sed talis tantummodo existimanda est respectivè, sive intuitu habito ad aliam &c. Art. XII. §. 2.

Contrà: A positione boni respectivi ad negationem absoluti N.V.C.

§. X. Mundo nondum producto, licet Deus secundum propriam suam essentiam bonus sit, quia tamen nihil erat, in quod beneficentiam exerceret, non nisi potentiâ bonus erat. Art. XII. §. 6.

Contrà: (a) Si E. Deus secundum propriam essentiam bonus est, falsissimum est tuum ad hunc §. 6. marginale: Deum non nisi respectivè bonum esse.

(β) Arguo: Quic. secundum essentiam, mundo nondum producto, bonus est, ille non tantum potentia & respectivè, sed actu quoq; & absolutè bonus dici debet; atq; prius concessisti. E. &c.

(γ) Ad hominem: Quodc. attributum ita Naturam Dei ingreditur, ut solà mentis operatione ab illà avelli queat, illud est attributum absolutum.

Hæc propositio est tua Art. XIV. §. i.

Atqui, subsumis ipse ibid, Immensum (addo ego, & quidem ex mente tua, BONUM, quod pari cum Immenso censu habes Art. XII. §. modò alleg. 6.) sunt talia. E. &c.

(δ) Collectio tua: Ante productum mundum Deus non nisi potentia bonus erat, quia tunc nihil erat, in quod beneficentiam exerceret; similis huic est: Ante productum mundum Deus non nisi potentia omnipotens erat atq; omniscius, quia tunc nihil erat, in quod omnipotentiam atq; omniscientiam suam exerceret. Posterior hæc concedi non potest. E. nec prior. Par enim utrobique est ratio.

(ε) Breviter: A negatâ denominatione ab actu secundo quâ terminum, ad negandam denominationem ab actu secundo quâ principium N. V. C.

§. XI. Sic priusquam res producerentur, non nisi potentia Judex, Creator, Misericors, & similia hujus notæ attributa Deo conveniebant, §. eod.

Contra: Ab attributis res creatas necessariò supponentibus (qualia Judicem, Creatorem esse &c. sunt) ad attributa ab illis liberè præscindentia (qualia Bonitas, Immensitas &c.) N. V. C.

§. XII. Quomodo hæc duo concilientur, ut omnes voluntatis actus ab æterno Deus decreverit, & tamen voluntas inde-

indeterminata adhuc maneat, fateor à me non ita clarè cognosci. Art. XIII. §. 7. Hoc inter illa recensendum est, quæ captum nostrum excedunt, & cui assequendo impares sumus §. seq. 8.

Contra: Mirum non est, te salvâ tua hypothese conciliare aut concipere non posse; distingue autem inter Decretum Dei effectivum, determinans, irresistibile, heterogeneum; atq; inter decretum Dei permissivum, determinatum, resistibile, homogeneum; & facilis tibi erit conciliatio atq; conceptio. Prius enim (quod tu) non posterius (quod nos statuimus) libertatis humanæ eversum est.

Adversus Dæmonologiam.

§. XIII. Sicuti formalis ratio corporis consistit in Extensione; ita formalis ratio spiritus consistit in cogitatione; quia absq; illa corpus, absq; hac spiritus concipi nequit. Art. I. §. 1.

Contra: (a) Atq; concipi potest corpus quoddam v. g. atomus sine extensione. E. in ea formalis ratio corporis non consistit.

(b) Spatium imaginarium concipitur ut extensum. E. erit corpus, quod implicat: corpus erit, quia extensum, non-corpus, quia imaginarium.

(c) Absq; actione concipi potest imò debet substantia agens finita; atqui cogitatio Angeli est actio substantiæ agentis finitæ. E. &c.

(d) καὶ ἀνθρώπων: Quorumc. cogitationes possunt augeri, eorum essentia potest augeri (posito hanc consistere in iis) atq; Angelorum &c. quod concedis Art.

I. §. 9. circa finem. Ergo &c. quàm monstruosum fœtum Majoris monstrosa hypothesis enixa sit, nemo non videt.

§. XIV. Angelos Secreta cordium penetrare triplici potissimum ratione ex Natura ostendere, & objectioni è Scriptura petitæ respondere conatur Le Grand Art. III. §. 5. seqq.

Contrà: Ex Natura contra Scripturam in quæsito ex merâ revelatione definibili nulliter planè atq; temerariè processisse eum, sequens docebit per breve examen:

§. XV. Ratio I. Convenientes Angeli cum hominum cogitationibus habent operationes. E. hominum cogitationes penetrare possunt Art. III. §. 5.

Contrà: (α) Atq; Angg. inferiores magis convenientes cum Superioribus operationes habent, quàm cum hominum cogitationibus, & tamen penetrare eorum secreta citra manifestationem non possunt, quod in hypothesis concedere videtur Le Grand infrà Art. VIII. §. 6.

(β) Convenientes habeant, esto; nisi NB. vim καρδιω-
γνωστικῆν ipsis inesse probaverit, nihil efficiet.

§. XVI. Ratio II. Pauca sunt voluntatis nostræ determinationes, quæ non per aliqua signa prodantur &c. quæ Angelis, argumentum præbere possunt ad cogitationes cordis detegendas Art. III. §. 5.

Contrà: (α) Extra Choream saltas; Quis enim negarit, per signa & à posteriori cogitationes cognoscere posse Angelos.

(β) De illis quæro, quæ per signa non produntur.

§. XVII. Ratio III. Fæmina energumena Bruxellis plurimorum ad se accedentium abditissimas cogitationes revelavit, quoniam hæ nullo aliquo signo exteriori proderentur. §. cod. Con-

Contrà: A nullo secundum quid (exteriori) ad nullum simpliciter signum N. v. c. vel:

A negatione signi exterioris & ignoti tibi, ad negationem signi interioris & ignoti dæmoni N. v. c.

§. XIIII. Dicta ex I. Reg. VIII. 39. & Jerem. XVII. 9. 10. ab ipso met Gr. allegata sententiæ ejus clarè ad eò contrariantur, ut mirari subeat, quomodo obviam iisd. ire ausus fuerit. Impius enim sit, oportet, atque impudens, quo non impudentior alter, qui in hisce dictis: Tu NB. solus nosti cor omnium interiorum hominum. Præsumptum est cor hominum & NB. inscrutabile. NB. Quis cognoscet illud? NB. Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, monopolium quasi Cognitionis secretorum hominis soli Deo vindicari adhuc dubitet.

§. XIX. Sed videamus, quibus fidiculis utatur Le Gr. ad hoc, quod è Scriptura sibi oppositum advertit, *πρὸς ἄνω* everendum: Huic objectioni, inquit,

I. facilè itur obviam, dicendo: Scripturam sacram Deum ab hominibus in cogitationum cognitione distingvere, non verò ab Angelis aut dæmonibus. Art. III. §. 7.

Contrà: (α) Responsio tua partim *ἀνεξαφός* est, cedò enim Tabulas, ubi scriptum?

(β) partim *ἀντινεξαφός*, & contra T. obstat enim.

(1) Exclusiva, Tu solus nosti &c. excludens *ἐπερὶ* *στία*. Angeli sunt *ἐπερὶ* *στίοι*. E. &c.

(2) Interrogativa, Quis cognoscet illud? vim fortius negandi habens, i. e. nemo cognoscet. Grand, si Deo tunc loquenti adfuisset, dicere forsàn potuisset: Quid gloriaris, Domine, Angeli etiam cognoscunt?

(3) Categorica Enunciatio: Ego Dominus scrutans. Atqui Angeli non sunt Dominus (Jehova) E. &c.

(γ) Ar-

(γ) Arguo hinc ἀνευστρίτως:

A Coniunct. participatione omnis Non-Jehova dictis remotionis modis removetur, ab ejus participatione etiam Angeli removendi sunt, atqui à participatione Cognitionis secretorum hominis &c. E. &c.

§. XX. II. inquit: Soli Deo & non Angelis tribuere hoc privilegium sacrum codicem, quòd illos tantum ut ministros consideret, atq; idcirco soli Deo imputet, quod ab illis fit aut cernitur. Artic. III. §. 7.

Contrà: (α) Decidente Scripturâ, quis obloqvetur?

(β) Angelis non tribuit Scriptura; E. non competit ipsis.

(γ) Soli Deo imputat. E. solus habet.

(δ) Si, quod ab Angelis etiam fieret, Deo ut soli imputaret Scriptura, mentiretur, quod cogitatu nedum dictu blasphemum.

Conclusio.

Temporis Chartæq; angustia exclusus abrumpere hinc cogor, cætera, quæ dici forsan adhuc debebant, reservans conflictui, atque gratias ago devotissimas supremo Numini pro concessis clementer viribus, faxit idem, ut hæc quælibetq; vergant in sui Nominis gloriam, quæ ultima semper erit studiorum meorum meta

atq;

FINIS.



Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus
Miles probatur optimus:
Pallados in castris certanti gloria praesto est,
Non mentibus vecordibus.

Tu certamen inis Musarum castra secutus,
Fausto, HENNEMANNE, sidere;
Applaudo, laudo. Te porro fervet JESUS,
Ut PATRIAM exornes Tuam!

*In gratiam DNI. RESPONDENTIS, Popularis
pl. dilecti, Extemporanea crenâ ac venâ
inter concatenatos hoc ipsum fundeb. La-
bores L. M. Q.*

M. JOH. Weißer / P. L. Cæl.
& Lycæi Wittenberg. Rector ac
Director.

Primus eras, mecum qui jungebaris, Amice,
Primus & affectu; Primus & alloquio.
Quid mirum, Chartæ si jungant atq; Cathedræ
Nos junctos semper vinculo Amicitiae.

*Pauculis hisce Prae-Eximium DN.
Parastatam suam cobonestare
voluit*

PRÆSES.

Victor eras, gladio cum nuper bella gerebas,
Et bellum calamò sic gere, victor eris.

*In honorem Præstantissimi DN. Respon-
dentis nuper è militia reducis
fecit*

Johannes Georgius Demming/
S. S. Theol. Stud.

So fiet

So siehet man nun wohl/den Fleiß und sein Beginnen
Daß er mit grossen Ruhm bey denen Kunst Göttern
Sich stets gefunden ein. Weiler anitz bereit
Auff disen ElbAlthen der grauen Ewigkeit
Zu zeigen seinen Fleiß. Inzwischen wünscht Ihm Seegen
Sein wohlgewogner Freund/ als Tropffen in den Regen
Er fahre weiter fort/ so wird sein saurer Schweiß
Der Nachwelt rühmlich seyn/ Ihm bringen Ehr und
Preis.

Mit diesen wolte in Eyl gegen dem Herrn
Respondenten seine Schuldigkeit ablegen

M. Johann Georg. Engler/
Z. L.

Quid valeant humeri, quæ sic meditatus, *Amice,*
Assiduis studiis comprobatur hoc Specimen.
Huc igitur vertat sua lumina patria Tellus
Et tradat studiis digna brabea, precor,

App.
Andreas Ulrici, Vra-
tislavienfis.

Egregium tractas specimen sub Præside claro,
Dum doctè Grandum dicere falsa doces.
Perge velut pergis non unquam præmia dêrunt,
premia quæ studiis grata futura tuis.

App.
Gottfried Bergner /
L. V.

Amicus
Theol. Stud.
Co. he

16(0)60



81

Pnevmatologicus

versus Nonnulla

si Le Grand

ogia sua Naturali

Dæmonologia

Asserta,

Qvem

ytæ Fac. Philos. Indultu,

ruditorum Examini

subjicit

RÆSIDE

DLAO Krause/

orffensi Franco,


SPONDENS

HENNEMANN,

steinio Nariscus,

rtii Anno MDC LXXX.

Auditorio Minori.



TTENBERGÆ,

STIANI SCHRÖPTERL

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Farbkarte #13
B.I.G.

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8